



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. CX. De Jejunio Ecclesiastico.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

152 Erotem. Eccles. Cap. CX. De Jejunio Ecclesiastico.

qui notat, esse cavendum à dicta opinione damnata.

7. *Quer.* An satisfaciatur præcepto, qui audit Missam stando ad fenestram domus contiguae Ecclesiae, inter quam tamen & domum prædictam extat è medio via? *Resp.* Affirmative, etiam si esset platea, dummodo tamen è fenestra videri possit Sacerdos celebrans. *Tambur. lib. 4. cap. 2. §. 1. num. 14. & Cotonius controvers. 14. cap. 3. num. 32.*

8. *Quer.* An, qui recitat horas Canonicas audiendo Missam, satisfaciatur utrique præcepto? *Resp.* Affirmative. *Diana part. 2. tract. 12. resol. 2. & part. 5. tract. 13. resol. 61.* Imò idem asserunt Doctores de eo, qui confitetur peccata sua, si cito se expediat, videlicet saltem ab initio Missæ usque ad Evangelium. *Coton. ubi supra num. 42.* Secus, si longiori tempore protraheret suam homologem, *ubi supra cap. 47. num. 16.*

9. *Quer.* An omissa Missa ob finem furandi, vel adulterandi, talis finis sit explicandus in confessione? *Resp.* Affirmative, licet effectus non sequatur, ut docui de Penitentia *Decis. 27. num. 6.*

CAPUT CX.

De Jejunio Ecclesiastico.

1. *Quer.* Quid sit Jejunium? *Resp.* Est abstinentia ab his, quæ gustu percipiuntur. *Cotonius d. lib. 1. Controvers. 17. cap. 1. num. 1.* ubi id de naturali jejunio intelligit, quod necessarium est ad sumendam Eucharistiam. Porro jejunium Ecclesiasticum esse, ait Abstinentiam à carnibus, & duplici confessione in eodem die.

2. *Quer.* Quibus diebus sit obligatio jejunandi? *Resp.* Per totam Quadragesimam, exceptis Dominicis: Quatuor anni Temporibus per tres dies; & aliis Vigiliis Sanctorum ab Ecclesia statutis. *Coton. ubi supra num. 9. Controv. 17.*

3. *Quer.* Quibus diebus sit à carne abstinendum? *Resp.* Dictis diebus juniorum, & insuper singulis sextis feriis, & Sabbatis. *cap. ult. de Observ. jejun. & cap. Quia dies, de Consecrat. dist. 5. nisi in eis acciderit dies Natalis Domini.* *Cotonius ubi supra num. 6. 7. 8. 9. & 10.* ubi observat, eos dicto die Natalis Domini non posse carnes comedere, qui Voto sunt adstricti ad jejunium in quocunque die Veneris, vel Sabbati; prout etiam ii, qui ob Regularem observantiam dictis diebus jejunare tenentur. *Molin. tom. 2. disp. 272. num. 3. Diana part. 1. tract. 9. resol. 22.* Quæ in Coordinato Opere est *tom. 4. tract. 6. resol. 61.*

4. *Quer.* An diebus juniorum liceat comedere ova, & lactinia? *Resp.* Negative, quoad jejunium Quadragesimale ex S. Gregor. *Papa dist. 4. cap. 6.* Quò verò ad alia jejunia vigiliarum servandas esse consuetudines regionum. *Coton. ubi sup. num. 13. Nicolius Institut. Canon. lib. 3. tit. 46. num. 2. Fagnan. in cap. Consilium, num. 54. de Observat. jejun. tom. 5. pag. 347. & novissime Pignatell. in suis Consult. Canon. consult. 15. tom. 1.*

5. *Quer.* An diebus Dominicis Quadragesimæ liceat comedere ova? *Resp.* Plures fuisse Doctores, qui affirmativam sententiam conati sunt defendere, quia tunc non est præceptum Jejunii; sed eorum reprobat sententia ob contrariam inveteratam Ecclesiae consuetudinem, ut pluribus citatis hinc inde tenet *Coton. dist. Controv. 17. num. 25. & 26.* ubi notat, mortiferum esse, comedere ova, & lactinia diebus Dominicis Quadragesimæ saltem in Italia; quod *num. 27.* extendit etiam ad alios dies Jejunii intra annum. Hinc Anno 1666. ab Alexandro Papa VII. fuit damnata hæc Propositio: Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lactinia in Quadragesima, obliget. Ut in *Propos. 32.*

6. *Quer.* An comedens carnem, vel ova in die jejunii teneatur amplius eo die jejunare? *Resp.* De comedente ova, & lactinia communem esse opinionem, quòd teneatur jejunare. De comedente carnem, esse hinc inde opiniones; idè, qui dispensantur à cibis vetitis, consulant Viros doctos, *Coton. ibid. num. 29.*

7. *Quer.* An in esu carniū, vel ovorum in die jejunii detur parvitas materiæ? *Resp.* Affirmative. *Leo quest. moral. de Chocolat. part. 3. num. 3. Diana part. 5. tr. 5. resol. 32. & par. 10. tract. 14. resol. 59. Coton. dist. lib. 1. Controvers. 17. cap. 2. num. 30.* ubi notat, non peccare coquos, & dapiferos in die jejunii gustantes jus, & pulmentum ad vadimonium, & gustum Principum; & idè, qui absque causa parum quid fumeret, peccaret venialiter tantum.

8. *Quer.* An in die jejunii liceat comedere placentulas, seu mustacea confecta cum ovo, vel butyro, ut sunt li *savojardi*, & *buzolati*? *Resp.* Attendendam esse consuetudinem regionis, ut docet *Coton. ubi supra num. 31.* Qui dat exemplum de diversis regionibus; & nos addere possumus exemplum del *Mandolato*; quod propè festa Natalitia conficitur Venetiis, & Patavii cum albugine ovorum, & tamen comeditur ex consuetudine in die jejunii.

9. *Quer.* Quando incipiat dies jejunii? *Resp.* A media nocte antecedenti, & durat usque ad mediam noctem subsequentem. *Coton. ubi supra num. 32.*

10. *Quer.* An, qui dubitat, utrum media nox præcedens jejunium, vel subsequens jejunium transacta sit, possit cœnare? *Resp.* In nocte præcedenti potest; in subsequenti non potest, quia in dubio statur pro possidente; & in primo casu possessio est pro libertate, in secundo pro jejunio. *Diana part. 4. tract. 3. resol. 18. Coton. ibid. num. 33.*

11. *Quer.* An in postrema nocte Bacchanalium liceat protrahere cœnam post mediam noctem per duas, aut tres horas? *Resp.* Negative. *Diana part. 1. tract. 16. resol. 17.* Quæ in opere Coordinato est *tom. 4. tract. 6. resol. 38.*

12. *Quer.* Quænam sit hora propria prandii in die jejunii? *Resp.* Quòd olim in jejniis Quadragesimæ hora erat in Vespere, id est, Sole occidente; in aliis verò jejniis hora

Erotem. Eccles. Cap. CX. De Jejunio Ecclesiastico. 153

hora tertia post meridiem. *cap. Solent. de consecr. dist. 1. Covaruv. lib. 4. var. resol. cap. 20. num. 14. S. Thom. 2. 2. quest. 147. art. 7. Porro, nunc ex generali consuetudine humanæ imbecillitati indultum est, ut in meridie cibus capiatur; imò etiam ante meridiem, ubi talis sit consuetudo, prout de Civitate Veronen. asserit Pasqualig. decis. 143. ut refert Coton. ubi supra num. 36. Vide Decisiones meas de Sacrif. Missæ decis. 13. num. 1. & 2.*

13. *Quer.* An comestio in Quadragesima necessariò facienda sit post recitationem Vesperarum juxta rubricam Breviarii Fer. 4. *Cinerum?* *Resp.* Esse hinc inde opiniones, & negativam esse magis communem, cum ex generali consuetudine hora comestionis præcesserit horam Vesperarum. Et quamvis Vesperæ dicantur in choro ante prandium, tamen non dicuntur hora debita; sed ad salvandam Rubricam Breviarii, quæ jubet, recitari Vesperas ante comestionem, quamvis propriè Ecclesia intellexerit, Vesperas esse recitandas propè occasum Solis, & illis recitatis refectio cibi capiatur. At humana fragilitas, ne dicatur astutia, seu malitia, sic declarat Rubricam. *Coton. ubi supra num. 36. 37. 38. dict. decis. 13. de Sacrif. Missæ.*

14. *Quer.* An sit peccatum mortale, anticipare horam comestionis notabiliter? *Resp.* Plures moderni negant, adeò ut etiam summo manè cibum capi posse in die jejunii doceant, dummodo semel capiatur, Pasqualig. *decis. 146.* Sed contrarium tenent graviores Theologi, notantes, viros timoratos sollicitos esse, ne ante meridiem cibum capiant. *Coton. ubi supra num. 39. & 40. ubi tollit scrupulum, quando addit justa causa anticipandi, qualis est obligatio lectionem faciendi, vel concionem, loquendi cum Principe, judicandi, orandi ab Advocato, inserviendi Majoribus, advenis; vel stomachus sit adeò debilis, ut non possit differre sumptionem cibi usque ad meridiem.*

15. *Quer.* Quanto tempore liceat ante meridiem cibum sumere in die jejunii? *Resp.* Alii docent per horam. *Pasqual. decis. 147.* Alii per quadrantem horæ. *Azor. p. 1. lib. 7. cap. 11. quest. 4.* Alii ab utraque recedentes putant per semihoram. Ita Filiucci *tom. 2. tract. 27. par. 2. num. 73.* & hanc laudat *Cotonius ubi supra num. 42.*

16. *Quer.* An liceat de manè facere collationunculam, & in Vespere cœnare? *Resp.* Negativè, nisi subsit aliqua justa causa. Ita Naldus *verb. Jejunium: num. 8.* Diana *part. 1. tract. 9. ref. 33. & par. 11. tract. 3. ref. 9.* *Coton. ubi supra num. 43.*

17. *Quer.* Quando possit ad prandium redire, qui è medio prandio coactus fuit surgere, & discedere ob aliquod negotium? *Resp.* Si sufficiens prandium non sumpsit, & ex necessitate illud interruptum fuit, potest quandoque ad illud redire. Si absque necessitate, non nisi post unam horam ex opinione magis secura. Si sufficiens prandium sumpsit, non potest ad cibum ampliùs redire, nisi ex causa urbanitatis intra quadrantem horæ. Diana *par. 10. tract. 14. resol. 62.* *Coton. ubi supra num. 44. 45. & 46. ubi idem*

concedit in sumptione anticipata cibi ex aliqua honesta causa, ante tempus prandii.

18. *Quer.* Quanto tempore liceat sedere ad mensam, & comedere in die jejunii? *Resp.* Quòd licet aliqui dicant, posse protrahi comestionem usque ad Vesperam, ut faciunt in Germania; tamen securior opinio est, ut non ultra duas horas comestio protrahatur; nam aliàs plures sunt comestiones, & intentioni Ecclesiæ non conformes. *Coton. num. 47.*

19. *Quer.* An potus Vini in die jejunii frangat jejunium? *Resp.* Plures ex antiquis affirmare; sed magis communiter negare modernos, qui id extendunt etiam ad potum multum, cerevisiæ, aquæ conditæ cum saccharo. *Coton. ubi supra num. 49. 50. & 51. ubi advertit, id non procedere in lacte, jure, pomis aureis, & masilicis, vulgò limoni, malis, uvis; quia hæc omnia verè sumuntur pro cibo, & non pro potu; quamvis contrarium doceat Pasqualig. decis. 135. & 136. cujus opinioni minimè est adhærendum.* Diana *par. 10. tract. 14. resol. 56.* De chocolata verò refert Doctores hinc inde sentientes *Coton. num. 53.* sed novissimè scripsit Emmentissimus Brancatius tractatum de ea, & ad favorem illam bibentium, quia ait est potus, non cibus; & sic non frangit jejunium. *Card. Brancat. in Dissert. de Potu Chocolatis pag. 163. & seq.* Multò magis licitum censetur bibere il Chassè, quod fit ex aqua, & pulvere cum parvo saccharo ad reprimendos vapores stomachi.

20. *Quer.* An ante horam prandii, vel post prandium liceat aliquod parvum cibi sumere; & quantum esse possit, ne jejunium frangatur? *Resp.* Licere ex honesta causa nempe urbanitatis, debilitatis stomachi &c. Circa verò quantitatem, alii eam taxant in duabus uncis, alii ad quartam partem collationculæ extendunt. Diana *part. 5. tract. 5. resol. 11.* *Coton. ubi supra num. 55. & 56. ubi advertit, plures quantitates parvas seorsim sumptas coire in unam magnam, & frangere jejunium; quod contra Salam tenet etiam Diana. par. 3. tract. 6. resol. 43. Et infra qu. 42.*

21. *Quer.* An frangatur jejunium per sumptionem electuarii, vel sacchari ob medicinam? *Resp.* Si ob infirmitatem reparandam, vel impediendam sumatur, non frangi, secùs si ob solam delectationem. *Coton. à num. 57. usque ad 60. ubi id non licere ait, si ageretur de voce servanda pro cantu firmo, quamvis id concedatur pro cantu figurato à Pasqualigo decis. 132.*

22. *Quer.* An frangat jejunium sumptio specierum consecratarum in quantitate notabili? *Resp.* Frangere secundum Dianam, & *Cotonium ubi supra num. 61.* Quæ responsio videtur satis disputabilis.

23. *Quer.* Quo jure sit introducta refectiuncula, seu cœnula in sero, tempore jejunii? *Resp.* Ex consuetudine, quæ cum sit contra mentem Ecclesiæ, est strictè interpretanda; & licet toleretur, & licitè servetur, tamen tanquam odiosa non est ei nimis favendum. *Coton. dict. lib. 1. contrav. 17. cap. 4. num. 63.* Nam per annos mille, & ultra Jejunii stabant fideles

les usque ad occasum Solis; & sic non erat locus cibo, vel potui ante horam Cœnæ.

24. *Quer.* Quæ cibi quantitas possit honestè sumi in refectiuncula? *Resp.* De hac esse quinque opiniones. Prima, concedit octo uncias. Secunda, sex uncias. Tertia, quatuor uncias. Quarta, tres uncias. Quinta, quartam partem cœnæ ordinariæ. Coton, *ubi supra num. 66.* ubi ait; primam esse nimis laxam; tertiam, & quartam nimis rigidam. Reliquas esse æquiores; sed æquissimum esse arbitrium viri timorati, nolentis famem extinguere, sed robori stomachi consulere, & conditioni suæ complexionis necessariam refocillationem dare; non autem gulæ indulgere.

25. *Quer.* Qui, & quales cibi permittantur in refectiuncula? *Resp.* Quod licet plures Doctores concedant quoscunque cibos, etiam pisces, & pulmenta; tamen tutior sententia est, permissum censei solummodo panem, & bellaria; hoc est, fructus, dulcioria, & acetaria. Diana *part. 1. tract. 9. resol. 1.* & Coton, *ubi supra num. 76.* Sed heu! Quanta libertas in mensis divitum.

26. *Quer.* An panis pro refectiuncula sumendus possit elixari, vulgò *fave la panata*? *Resp.* Affirmativè. Dian. *part. 9. tract. 6. resol. 29.* & *part. 10. tract. 14. resol. 58.* prout etiam maderieri in vino, quia his modis nihil majus acquirit ad nutritionem. Coton, *ubi supra num. 81.*

27. *Quer.* Quæ, & quot sint causæ excusantes à jejunio? *Resp.* Esse plures, easque reduci ad quinque defectus, nempe, Rationis, Etatis, Ciborum, Sanitatis, & Quietis.

28. *Quer.* In quibus consideretur defectus rationis? *Resp.* In amentibus, & infantibus ante septennium, qui non solum jejunare non tenentur, sed neque à carnibus abstinere. Coton, *ubi supra num. 83.*

29. *Quer.* An teneatur jejunare ille, qui inadvertenter comedisset carnem de manè? *Resp.* Esse hinc inde opinionem; sed negativam videri magis probabilem, quia abstinencia carniū, etiam materialis, est de essentia jejuniū. Coton, *ubi supra num. 86.* Quo loci notat, qui comedisset inadvertenter cibos non prohibitos, teneri ad jejunium eo die, computando cibum sumptum vel in cœna, vel in cœnula juxta quantitatem; quod docet etiam Diana *part. 10. tract. 14. resol. 61.* Vide dicta supra *quæst. 6. & infra quæst. 31.*

30. *Quer.* In quibus consideretur defectus ætatis? *Resp.* In adolescentibus, & in senibus. Ideo illi non tenentur jejunare ante annum 21. completum. Illi post completum annum 60. Et hoc non ex jure scripto, sed ex communi placito Doctorum; quamvis aliqui absolvant mulieres à jejunio statim post annum 50. alii post 55. & alii obligent viros usque ad annum 63. sed hi omnes particulari judicio scribunt. Coton, *ibid. num. 87. & seqq.* Narbona de *Etate Anno 60. quæst. 2.* ubi plenè.

31. *Quer.* An prædictus defectus ætatis pari passu procedat in Religiosis circa Jejunia à Regula illis indicta? *Resp.* Quod in hoc digladiantur Theologi, ut videre est apud Co-

ton, *ubi supra num. 90.* Caterum magis communis opinio est, quod idem sentiendum sit de jejunio Regulæ, ac de jejunio Ecclesiæ.

32. *Quer.* In quibus consideretur defectus ciborum? *Resp.* In pauperibus, qui non habent, nisi panem, & fructus ad vescendum. Et quia in hoc discrepant Doctores, resolutio certior est, esse attendendam complexionem, & qualitatem personarum, quarum alia jejunare possunt cum solo pane, fructibus, & oleribus; alia verò non possunt. Coton, *ubi supra num. 124.*

33. *Quer.* In quibus cadat defectus sanitatis? *Resp.* In illis, qui ob dolores, febrim, vel alias indispositiones corporis, non possunt commodè ordinarias hominis operationes facere. Coton, *num. 92. & 93.* ubi notat, eum non teneri ad jejunium, qui incognatus non potest dormire, vel non posset noctu caleferi, aut nimis tardè, de quibus consulendi Medici. Sed quid de his dixerit Regina Lusitanæ Elisabeth, videat Lector Decisiones meas de Pœnitentia *decis. 36. in fine.*

34. *Quer.* An dispensatus ad carnes censeatur omnino dispensatus à jejunio? *Resp.* Disputari acriter super hoc à Doctoribus; sed conclusionem esse affirmativam, id est, non teneri jejunare; ob eam rationem supradictam, quod scilicet de essentia jejuniū est abstinere ab elu carniū. Coton, *dict. controvers. 17. num. 96. & seqq.*

35. *Quer.* An dispensatus, ut possit in die jejuniū comedere carnes, valeat comedere carnes etiam nocivas, nempe porcinas, vel simul cum piscibus? *Resp.* Talem non peccare contra præceptum jejuniū, sed contra temperantiam, & sine peccato gulæ. Coton, *ibid. num. 98.*

36. *Quer.* In quibus cadat defectus Quietis pro solutione præcepti jejunandi? *Resp.* In illis omnibus, qui labores subeunt incompatibiles cum jejunio, & exhauriuntur in eis vires, & spiritus, quos repetitis refectiōibus restaurare oportet. Et communiter censentur Artifices in arte laboriosa, si eam exerceant per totam diem, vel majorem diæ partem; & soliti sint eam exercere; quo casu, si aliquo die sine labore vacent, non ideo tenentur jejunare, cum debeant vires servare pro sequenti die; secus autem, si multis diebus essent à labore vacaturi. Coton, *ubi supra num. 99.* ubi alios allegat.

37. *Quer.* An Sartores, & Barbitonforos excusandi sint à Jejunio? *Resp.* Affirmare Dianam alios allegantem *part. 1. tr. 8. res. 8. & part. 10. tract. 15. res. 37.* Sed negare Palqualigum *decis. 305.* & Tambur. ac Coton, *ubi supra num. 105.* quia labor istorum molli videtur. Conscientes verò calcæcos communiter à Jejunio excusantur. Coton *ibid. num. 106.*

38. *Quer.* An itinerantes excusentur à jejunio? *Resp.* Communi regula eos excusari tam si pedibus incedant, quam equo, & curru; dummodò non ita commodè progredierentur, & per breve iter, ut laborem itineris non sentirent. Iter autem reputatur sufficiens cum equo, vel curru per 24. miliaria. Pedestrim verò per septem, aut octo millia-

Erotem. Eccles. Cap. CXI. De Obligat. confitendi &c. 155

ria. Coton. ubi supra num. 108. Vide infra quas. 42.

39. *Quer.* Quid sentiendum sit de Cantoribus, qui ex officio canendi vivunt, & jejunando redderentur inhabiles? *Resp.* Eos excusari à jejunio; imò ad servandam vocem posse velci ovis in Quadragesima. Coton. ubi supra num. 109. & 110. ubi hac exemptione, ait, non posse gaudere Monachos, & alios in choro canentes, quia hi non vivunt arte canendi, & debet in eis prævalere amor abstinentiæ.

40. *Quer.* An labor mentis excuset à jejunio? *Resp.* Quamvis plures DD. affirmant, & sic excusent Lectores, Judices, Consulentes, Studentes &c. tamen securior est opinio contraria. Coton. num. 114. ubi num. 118. Concionatores, ait, passum esse excusandos.

41. *Quer.* An peccet contra præceptum jejunii, qui sponte assumit laborem incompatibilem cum jejunio, qui sit vel malus, vel non necessarius, ut ludus pilæ, vel coitus fornicarius? *Resp.* Peccare, quia sponte reddit se inhabilem huic præcepto servando, quamvis contrarium afferant multi moderni, quos confutat Coton. ubi supra num. 120.

42. *Quer.* An circa hanc materiam jejunii, extent aliæ opiniones damnatæ? *Resp.* Extant tres damnatæ die 18. Martii 1666. ab Alexandro VII. nempe 29. 30. & 31. quæ sic asseriebant: In die Jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, est notabilem quantitatem in sine comederit, non frangit jejunium. Item, omnes Officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii; nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio. Item, Excusantur absolute à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit; etiamsi iter unius diei consistant.

CAPUT CXI.

De obligatione confitendi, & communicandi saltem semel in anno.

1. *Quer.* Quid sit Pœnitentia tanquam virtus? *Resp.* Esse animi dolorem, ac detestationem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Concil. Trident. sess. 14. de Sacram. Pœnit. cap. 4. Coton. Controv. 16. num. 1. dict. lib. 1. Decisiones meæ de Pœnit. Decis. 1.

2. *Quer.* An homo statim post peccatum mortale teneatur pœnitere? *Resp.* Quod licet affirmet Sylvest. verb. Contritio num. 4. tamen communiter DD. id negant; quamvis nonnulli declarent, esse obligationem de aliqua pœnitentia imperfecta, quæ saltem innuat in peccatore aliquem dolorem de peccato, ex quo non videatur contemnere Dei Majestatem, ut ait Cardinalis Pallavicinus laudatus à P. Cotonio ubi supra num. 6. Quamvis, & hanc declarationem respuat Diana part. 11. tract. 8. resol. 51. Et licet Dianæ non acquiescat Cotonius ibidem, tamen saltem prædicè videtur communior opinio Dianæ, quia qui peccant, præcipuè ex nimio odio, vel ex nimio amore, adeò delectantur commissis peccatis, ut ad ea replicanda parati sint, & ni-

Doct. Clericali Tom. II. Lib. VII.

hil cogitent de contemptu Majestatis Divinæ; quare non videtur dicendum, quod homo sit obligandus ad pœnitentiam statim post peccatum; aliàs committat aliud peccatum. Vide resolutionem plenam hujus Quæsitum in mea Decis. 11. de Pœnit. ubi DD.

3. *Quer.* An homo teneatur dolere de peccatis præteritis aliàs confessis? *Resp.* Negativè, quia dum ad memoriam redeunt, sufficit de eis non delectari. S. Thom. part. 3. quæst. 84. art. 8. & 9. nisi esset periculum delectationis morosæ. Layman. lib. 5. tract. 6. cap. 2. num. 8.

4. *Quer.* An homo teneatur ad perfectam pœnitentiam in mortis articulo? *Resp.* Affirmativè, & non solum in articulo mortis, sed etiam in periculo proximo mortis. An autem hæc pœnitentia satis sit in attritione cum Confessione Sacramentali; vel requiratur vera contritio? quamvis plures Theologi dicant, requiri contritionem, & sic, quod homo in illo extremo doleat de peccatis suis ex motivo charitatis, & ex actu amoris Dei, tamen videtur id intelligendum ex consilio, non ex necessitate absoluta, quia decisum est à Concilio Tridentino, attritionem cum Confessione justificare peccatorem, ut dixi de Pœnitentia Decis. 2. Et sic Coton. ubi supra num. 9. nimis rigorosè adhæreat opinioni contrariæ.

5. *Quer.* Præter mortis articulum, seu periculum, quando sit homo obligatus ad pœnitentiam? *Resp.* Quamvis plurima de hoc asseruerint Theologi; citra determinationem Ecclesiæ, tamen cum habeamus in præfenti Præceptum Ecclesiæ, ut quisque confiteatur semel in anno, dicendum est: hominem non obligari nisi ad semel in anno pœnitendum, & hoc in Paschate. cap. Utriusque sexus, de Pœnit. & Remiss. Tribus tamen casibus exceptis. Primò, si deberet suscipere, vel administrare aliquod Sacramentum. Secundò, si occasionibus peccandi alia via, quam per Confessionem resistere non posset. Tertiò, si per præteritam culpam provocasset iram Dei contra totum populum; quod in Principibus accidere potest, ut in sacris Litteris habetur de Achab, & de Davide. Layman. lib. 5. tract. 6. cap. 2. num. 4. Coton. ubi supra num. 13. ubi hos tres casus tantum necessarios censet confitendi ante tempus Paschatis. Vide me ipsum de Pœnit. Decis. 50.

6. *Quer.* An peccata venialia extra Sacramentum Pœnitentiæ remittantur ex sola contritione, vel cum sola attritione? *Resp.* Esse in hoc Theologorum discrepantiam; sed stante doctrina Concilii Tridentini sess. 14. cap. 5. dicendum, est sufficere attritionem unitam alicui Sacramento Vivorum, vel aliis bonis operibus. Coton. ubi supra num. 15. lib. 1. Controv. 16. & meæ Decis. de Pœnit. Decis. 33.

7. *Quer.* An dolor de peccatis debeat esse actualiter in Confessione, vel sufficiat, eam præcessisse, & quanto tempore? *Resp.* Securius esse, ut actualiter interveniat in Confessione: porro sufficere, si virtualiter intercedat; id est, si fuerit elicitus ab eadem voluntate, à qua & ipsa confessio peccatorum pro-